

quantitate finitum, unde falsum est, quod in tempore finito (secundum quantitatem) non possit pertransiri infinitum (secundum divisionem) lib. 6. phys. c. 1. Aristoteles solet hujusmodi argumenta λογικὰ appellare κενολογίαν lib. 1. Eud. c. 8. lib. 2. de gen. anim. c. 8. possunt uno vocabulo κενολογίαν dici : λογικὰ dicuntur, quia sunt communia, non ex propriis & domesticis rei vel Disciplinæ alicujus principiis: κενά, quia videntur esse aliquid, cum nihil sint: κενὸν γέ δοκεῖ μὲν ἔναις π; οὐδὲ δὲ οὐθέν. Hinc lib. 8. Top. c. 12. ad falsas rationes referuntur, quia videntur esse geometricæ, medicæ &c. vel ad rem accommodatæ, cum non sint tales, ea itaq; ratione ad minimum, si non alia, fallunt. Ex quibus jam manifestum est, quod argumenta quæ ex communibus artium & scientiarum principiis, non ut indubitato veris (ita enim in scientiis sumuntur ad probandum quod sit) sed tanquam probabilibus sumptis formantur, sint dialectica & tentativa, si tanquam communes rationes ad ignorantiam detegendam in disputando adhibeantur: Talia Aristoteles interdum demonstrativis rationibus præmittit vel postponit, vocatq; ea logicas demonstrationes & considerationes, quas Analyticis & Apodicticis opponit. lib. 1. post. c. 19, 21, & 29. 1. 8. phys. c. 12. Si vero communes hujusmodi rationes pro demonstrationibus venditentur, sicuti à Brysone & ab Antiphonte fuit factum, tunc sophistificationes fiunt, præsertim si apud doctos adhibeantur & ex falsis concludant. Producitur manifestum ejusmodi exemplum lib. 2. de Gen. anim. c. 8. ad demonstrandum cur mula sit infœcunda: Peccavit itaq; cum sectatoribus suis Plato, quando ex uno atq; altero exemplo universalia formavit, quæ ad varias materias accommodari potuerunt, & inde Physicas, Politicas &c. quæstiones demonstrare est conatus lib. 1. de Gen. & Corr. c. 2. Ad idem genus argumentandi pertinere videntur sequentia argumenta; quæ præterea quod λογικὰ sunt κοινὰ καὶ κενὰ, continent etiam alias fallacias & falsas propositiones. Accidens non potest producere substantiam, calor est accidens E. calor non potest producere substantiam. Plantæ & animalia quæ sponte generari dicuntur sunt substantiæ E. à calore non producuntur. Quod est supra vires alicujus, id ab eo non producitur (nihil enim agit ultra suas vires & supra suum posse) atqui producere substantiam, animal,